

ioco qui postea, cap. XVIII, vers. 12, ab eventu vocatus est castra Dan, situsque erat inter Saraa et Esthaol; nam Hebraei tunc non habebant castra, utpote oppressi a Philistaeis. Hebraea est, cepit spiritus Dei, וְצִפְרִי לְפָאֵרָא, id est, per vires eum agitare, excitare et impellere, scilicet ad ardua audenda et molienda. Unde deinceps quotiescumque narratur Samson aliquid exitium aggredi, praemittitur: « Spiritus Domini irruit in Samson. » Hinc notat S. Ambrosius in illud Luc. 1, 17: « Ipse praebit in spiritu et virtute Eliae, » haec duo, scilicet spiritum et virtutem sive fortitudinem semper esse conjuncta. Nam omnis fortitudo tam ad ardua agendum et aggrediendum, quam ad dura patiendum, est a spiritu, quem nobis aspirat Spiritus Sanctus. Ille ergo assidue nobis invocandus est. Sic Joannes Baptista dicitur habuisse spiritum et virtutem Eliae; et Gabriel dixit B. Virgini: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » Luc. 1; et Christus Apostolis, Act. 1, ait: « Accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientis in vos. » Ubi videt semper virtutem jungi et tribui Spiritui Sancto. Quocirca Septuaginta hoc loco vertunt: *Capit eum eo spiritus proficiat*, eum comitari, et quasi pedagogus deducere, atque ad actus heroicis exstimulare. Chaldaea: *Manavit spiritus fortitudinis a Domino ad roborandum eum.* R. Badaeus: « Incepit propheta illi venire vice prima. » Idem rursus sic: « Cepit propheta spiritus eum pulsare, et quasi tintinnum ei facere, quasi ante ipsum aliquid foret tintinnabulum. » Cajetanus: « Capit eum spiritus agitare signo aliquo sensibili, quod tamen quale fuerit scriptum non est. » Arias: « Cepit spiritus Domini impellere eum, ita scilicet ut feliciorum temporum fortasse memor, et presentium pertesus, animo divinitus excitato de Israeliticarum rerum correctione et restitutione, deque hostium damno et labefactione cogitare coepit. » Denique audi S. Ambrosium, epist. 24 ad Vigilium: « Cum diuturna injuria longae subjectionis aeta essent depressa Hebraeorum pectora, ut nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere aude-ret, ortus est illis Samson divino oraculo praedictatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus

sed in paucis prestantissimus, et quod sine ulla controversia sit, viribus corporis omnium facile primus; eoque ingenti admiratione nobis spectandus a principio, non illa quae temperantiae et sobrietatis jam inde a pueritia vini abstemius preclara insignia dedit, nec illa quae intonso capite Nazareus sacra diu servavit custodia; sed ab adolescentia, quae in aliis etas mollior in hoc egregia atque supra humanum modum perfecta virtutis stupenda facinora effecit, quibus divini oraculi mox aperuit fidem, quod non perfuntorie tanta eum anteisset gratia, ut descenderet Angelus, per quem ortus ejus praeter spem parentibus annuntiaretur, futuri regimen et praesidium suis. Nam gravibus jam diu Palestinorum imperiis afflictabantur. » Et initio libri *De Spiritu Sancto*: « Samson divina promissione generatus spiritum comitantem habebat. Sic enim legitur: Quia benedixit eum Dominus, et cepit Spiritus Domini comitari eum in castra. » Sic vero Augustinus, serm. 107 *De Tempore*: « Ubi erat potentissima illa fortitudo nisi in eo quod Scriptura dixit: Incedebat cum illo spiritus Domini. Ad Domini spiritum pertinebat illa fortitudo. In Samson vas erat. In spiritu plenitudo erat. Vas impleri et exinaniri potest. »

Porro Samson, ait Eusebius in *Chronico*, similia vel eadem fecit quae Hercules, imo non alium fuisse Gentilium Herculem, quam Hebraeorum Samsonem docet noster Gaspar Sanchez in *Minoribus Prophetis*, pag. 803, ac fabulas de heroicis gestis Herculis ex Samsonis historia esse petitas, de quo plura cap. XVI, in fine.

INTER SARAAM ET ESTHAOL (1). — R. ASE in tractat. *Sutab*, cap. 1, asserit hos duos esse magnos montes, quos Samson evulserit, et manibus suis contriverit instar molae; sed haec ridicula sunt Rabbinii figmenta: sunt enim haec duae urbes (non montes) terminales, quae tribum Dan a tribu Juda determinant, ut patet *Josue* xv, 33; II *Esdrae* xi, 20, ac inter eas natus et sepultus est Samson.

Porro *Saara* hebraice idem est quod *lepra*. *Esthaol* idem quod *postulatus*, aut *ignis* vel *uxor stultitia*, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*

(1) Saraa et Esthaol erant de tribu Dan

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson impulsu Dei postulat uxorem Philistinam, ad quam vadens leonem obitum discerpit, in cujus ore post aliquot dies reperit examen apum et favum mellis. Inde, vers. 10, in nuptiali suo convivio, solatibus proponit hoc aenigma: De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Quod cum illi solvere nequirent, per uxorem a Samson solutionem extorquent, eamque Samson educunt. Quare ille triginta sindones triginta Ascalonitis occisis ereptas eis ex pacto persolvit, ac tratus domum redit.

1. Descendit ergo Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philistinum, 2. ascendit, et nuntiavit patri suo et matri suae dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philistinorum: quam quaeso tibi mihi accipiat uxorem. 3. Cui dixerunt pater et mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philistinum, qui ircircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe; quia placuit oculis meis. 4. Parentes autem ejus nesciebant quod res a Domino fieret, et quaereret occasionem contra Philistinum; eo enim tempore Philistinum dominabantur Israeli. 5. Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulos leonis saevus, et rugiens, et occurrit ei. 6. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi haedum in frustra discerpens, nihil omnino habens in manu; et hoc patri et matri noluit indicare. 7. Descenditque et locutus est mulieri, quae placuerat oculis ejus. 8. Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis. 9. Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via; veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem; qui et ipsi comederunt, nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat. 10. Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium. Sic enim juvenes facere consueverant. 11. Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo. 12. Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema, quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas; 13. sin autem non potueritis solvere, vos dabit mihi triginta sindones, et ejusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, ut audiamus. 14. Dixitque eis: De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. 15. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: Blandire viro tuo, et suade ei ut indicet tibi quid significet problema, quod si facere nolueris, incendemus te et domum patris tui; an idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis? 16. Quae fundebat apud Samson lacrymas, et querebatur, dicens: Odisti me, et non diligis, idcirco problema quod proposuisti filiis populi mei non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo et matri nolui dicere, et tibi indicare potero? 17. Septem igitur diebus convivii flebat ante eum, tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quae statim indicavit civibus suis. 18. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum: Quid dulcius melle, et quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. 19. Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Ascalonem, et percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui; 20. uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus et pronubis.

1. DESCENDIT ERGO SAMSON IN THAMNATHA. — «Thamna,» inquit Adrichomius pag. 24, Thamnas, Thamatha et Thenina est in via inter Ptolemaidam et Gazam, et eadem via progrediendo venit in Accaron et Geth. Hic oves suas totendit Judas. Civitas Philistinorum, juxta quam Samson discerpit et laceravit leonem, atque inibi duxit uxorem ex Philistæis, quam ceperunt Philistæi, munita est postea hæc urbs a Bacchide.

Thamnatha ergo erat oppidum in confinio trium tribuum, scilicet Juda, Dan et Ephraim, versus mare Mediterraneum, inter Ptolemaidam et Gazam in finibus Diospoleos, ait S. Hieronymus, quod in sortem suam accepit tribus Juda, Josue xvi, 17; sed Judæis eripuerunt Philistæi, ut patet ex hoc capite, idque disertè asserit Josephus: recuperantur illud postea Judæi, ut patet II Paral. xix, 18. Judæis iterum illud extorserunt Philistæi tempore Achaz regis Juda, ut ibidem dicitur.

3. HANC MIHI ACCIPE, QUIA PLACUIT OCVLIS HEIS, — non tantum quia pulchra, sed et quia decus mihi erit invadendi Philisteos, itaque ordiendi meum liberatoris Hebræorum officium ad quod me Deus destinat, ut patet ex seqq.

4. QUOD RES A DOMINO FIERT. — Hinc patet Samsonem non peccasse, quod contra legem petierit uxorem Philistinam, quia id fecit Deo impetrante, ac proinde in lege sua dispensante: alioqui matrimonium hæc cum infidelibus, æque ac cum hereticis communiter sunt periculosa et noxia, uti fere docet S. Ambrosius, *epist.* 24, idque suo verbo expensis est Samson, qui hic, uti et in aliis, fuit typus Christi, qui Ecclesiam ex Gentibus sibi despondit repudiatis Judæis. Unde S. Ambrosius, *epist.* 70, juxta editionem veterem, que in editione Romana exstat lib. III, *epist.* 24 ad Vigilium, et lib. I de Abraham, cap. ult., habet per insignia axiomata hæc: «Primo, in convubio religio queritur. Secundo, non potest congruere caritas, si discrepet fides. Tertio, sepe illecebra mulieris deopit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere.» Unde concludit: «Cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere; cave Gentilem, aut Judeam, aut alienigenam, hoc est, hæreticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi.»

Vide Apostolum II Cor. vi, 14, ubi multis hæc matrimonium cum infidelibus dissuadet. Unde S. Julianus Gentili dixit eam conjugem ambientem generare respondit: «Tantum matrimonium est societas cum inferis, et sepulchrum positum in oculis.» Quocirca Ecclesia matrimonium disparis cultus irritavit, et nulla decrevit.

ET QUEREBAT OCCASIONES CONTRA PHILISTINUM. — Samson, quum facebat hæc dilemma: Philistæi vel mihi dabunt Philistinam uxorem quam peto, vel negabunt: si negent, arripiam occasionem invadendi eos; eo quod uxorem negando dedecore me afficiant. Si dent, debebunt mihi meisque

Hebræis esse benigniores, utpote jam eis affinitate conjuncto; quod si non presertim, erit mihi hæc occasio nova litis; occasio, inquam, eos persequendi et damnis afficiendi. Ita S. Ambrosius, *epist.* 24: «Ignorantes, ait, parentes, quod in eo intentio vergeret ut Palestinis aut negantibus infestior foret, aut acquiescentibus affectus inferendæ in subditos injuriæ demeretur, cum ex conjunctione æqualitas par, et gratia consortii jure accresceret; aut si quid offensum esset, longius ultionis studia procederent, quasi alienigenam declinandam arbitrabantur.»

Addit S. Ambrosius Samsonem ineunte juventute duxisse uxorem, ut periculum fornicationis, quod juvenes ob fervorem atque subeunt, effugeret: «Talibus, inquit, commendatus insignibus, ubi primum adolevit, conjugio intendit mentem, sive quod vagam ac familiarum adolescentulis abhorretet animo lubricæ libidinis consuetudinem; sive quia jam causa querebatur, quemadmodum a cervicibus plebis sue averteret Palestinarum potentiam, duraque imperia.»

5. APPARUIT CATULLUS LEONIS SEVIS ET RUGIENS. — Catelli enim leonis grandibus sunt seviore, tum quia magis fement latrante stomacho; tum quia juvenis facit eos petulantiores, animosiores et ferociores. Ita Plinius, lib. VIII, cap. xvi: «Leonis, ait, præcipua generositas tunc cum colla armosque vestium jubæ. Id enim etate contingit et leone conceptis.»

6. IRRUIT (Septuaginta, *insultat*) AUREUS SPIRITUS DOMINI IN SAMSON. — eum animans et roborans ad invadendum et occidendum leonem. Unde sequitur: «Et dilaceravit leonem.» Audi S. Ambrosium, *epist.* 24: «Occurrit ei leo feras de sylva, agressi libertate seviore. Comes nullus, solum in manibus haudquaquam suppedilabat eedere pudor, et conscia virtus fiduciam dare. Tunc irruentem in se brachiis amplexum necat, et laceratum nodo exanimatum præter aggerem supra sylvestria germina projicit, ac dereliquit. Locus erat letus pabuli herboso gramina, vineis consitus.»

Hinc patet robur et vires Samsonis non fuisse naturales, sed supernaturaliter illia Deo inditas: unde et a capillis ejus, Deo ita ordinate, pendebant, uti audiemus cap. sequenti.

Tropologice, leo est res ardua, ut gravis tentatio, quam instar Samsonis invocato Dei spiritu animose invadere et superare debemus: occide hunc ferocem leonem, occidit amplius te non vexabit; si que fiet ut qui prius videbatur leo invincibilis, jam videatur formica debilis. Talis enim animosus est demon. Unde a Job, cap. iv, vers. 40

(1) Spiritus Domini non sumitur hic in sensu inspirationis divinæ nec amoris virtutum, roboris vero et fortitudinis spiritus, qui irruat in Samsonem, debellatorem Philistinorum Dei inimicos infensissimos: unde patet vires esse supernaturales invitis argumentis ampliorum de Polydama, qui inermis leonem detrusit in montes Olympo.

et 41, juxta Septuaginta vocatur *myrmicoleon*, id est formica leo: si enim eum timeas, seviet ut leo; sin contemas, erit debilior formica. Hinc Salomon ait Prov. xxii, 13: «Dicit piger: Leo est foris: in medio platearum occidendus sum.» Ex adverso dicebat Alexander Magno festive Cræto: «Macto, Alexander, pro regno cum leone pugna.» Ad ipsam quisque sibi cum demone pro regno celestis pugnanti, a Deo dici putet. Sæpe, ait Seneca, nos terrent non res ipse, sed rerum umbra et phantasmata, scilicet nimia difficultatis apprehensio et ponderatio. Quare cæcis quasi oculis invadenda sunt ista imaginationis terrena, uti facit læona, de qua Plinius, lib. VIII, cap. xvi: «Cum pro catulis, inquit, foeta dimicat læona, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne verabula expavescat.»

Porro primus hic fuit fortitudinis Samsonis actus, quo cæteris majoribus præstitit, ac Philistæis terrorem incussit: qui enim leonem animalium fortissimum lacerarat, quem non laceraret? Tradit Plinius et alii leonem animos viresque infringi, si quis in oculos vultumque ejus pallium vestemve aliam injiciat. Ardor enim et vis ejus consistit in oculis, qui si velo obducantur, ipse se cæcum et captum putat, itaque se capiti ferri permittit; atque hoc modo nonnulli leones superant et mactantur. At Samson nil tale fecit, sed leonem videntem et oculatissimum sine gladio vel fuste inermis aggressus, sola manu apprehensum laceravit, ut ostenderet se esse leonibus fortiorem, ac plusquam leonem irritum in Philisteos.

ET HOC PATRI ET MATRI VOLUIT INDICARE, — tum modestie causa; tum quia Dei destinatione et instinctu, ex leone hoc occiso, et melle in ejus ore reperio facturus erat enigma, quod propositurus erat Philistæis, ejus solutionem illi facile invenissent, si leonem ab eo occisum, et favum in eo reperit inaudissent ab ejus parentibus. Docet hic Samson, quod qui secretum servare vult, illud nulli, nec amicissimo vel parenti indicet, dicitque cum Isaia, cap. xxiv, vers. 16: «Secretum meum mihi.» Aristoteles interrogatus, «quid omnium esset difficilestimum,» respondit: «Tacere que loqui non oportet.» Facilius enim ignitum carbonem ore contineret quis, quam arcani quidpiam, ut olim dixit Socrates, quem in jocis imitatus lib. II de Oratore, Tullius. Magno igitur opere laudandum ac imilandum Samsonis in leonia cæde, mellificoque novi monstratione, silentium.

8. ET ECCE EXAMEN APUR IN ORE LEONIS ERAT AC FAVIS BELLIS. — Chaldaice, *in corpore*; melius Noster in Septuaginta et alii, *in ore*. Solent enim apes ore animalium sive vivorum sive mortuorum delictari; ita tamen ut aliquibus in ore sedentibus cætere corpori leonis insiderent, vel illud circumvolitarent. Hinc apes vise sunt insidere ori Pindari et Platonis et S. Ambrosii, ut melleam

Jovem puerum, qui postea tactus est rex Cræta, ac post mortem deus et deorum princeps, apes advolasse ejusque os melle implisse, itaque eum nutritivisse narrat, vel potius fabulatur Virgilius in fine Georg. Porro solent apes, teste Plinio; Virgilio, Plutarcho, Columella et aliis, quos citat et sequitur Ulysses Aldrovandus, tract. De Apibus, e corpore boum mortuorum naturaliter nasci, ac rex apum ex ipso bovis capite, cætere ex reliquo corpore. Cur non et nasci possit ex cadavere leonis? Quaquam hic non dicuntur nata ex leone, sed ori ejus insedisse, nimirum circumvolitantes per flores campi, in quo erat cadaver leonis, os ejus ingressæ in eodem favum construxere, in eoque mel suum de more condiderunt. Denique Deus per Angelum dirigens Samsonem effecit, ut apes ex cadavere leonis nascerentur, vel alibi nata in os leonis involarent, ibique mellificarent, ac gesta Samsonis, que exinde secuta sunt, et ob mysteria, que per hoc Deus representare volebat, de quibus mox. Sic in Hippocratis medicorum principis (ut habet ejus Vita) sepulchro inventum est examen apum ad nullum tempus mellificantium, item in capite Onosii jam exanimato, teste Herodoto (4).

Allegorice, leo significabat Christum, ipse enim est Leo de tribu Juda, Gen. xlix, et Apocal. iv et v, qui sua morte devicit mortem, peccatum, demonem et gehennam. Unde ex eo post mortem prodit mel Eucharistiæ, et examen apum, id est, innumera fidelium et sanctorum copia. Ita S. Augustinus ejus verba prox citabo.

Porro Abilenis et Lyranus has apes et leone natas censent fuisse sordidiores et viliores, quia leonis gravis est odor et halitus, quem apes munda fugiunt. Sicut in Sardinia mel est amarum, eo quod ibi apes pascentur absinthio, quod est amarum, teste Plinio lib. XXI, 13. Verum contrarium censet Serarius et alii; vivi enim leonis gravis est halitus, non mortui. Num vile famulo suo mel dedit Dominus? Num suis Samson parentibus, suæque, ut Josephus vult, sponsæ? In animalium generosissimo generosissimas quoque apes fuisse arbitror, et generosissimas a Deo Samsoni datum mel, quod non falso laudari infra, versu 44.

12. PROFOXAN VORIS PROBLEMA. — Hebraice חֲמִילֵי חֵדָּה , id est *enigma*; proprie enim fuit hoc enigma, id est obscura, arcana et involuta propositio.

14. DE CONDENTE EXIIT CIBUS, ET DE FONTIBUS SA EST DULCEDO. — Ecce hoc est problema, id est enigma a Samsonem propositum Philistæis juvenibus in convivio. Veterum enim mos erat enigmata et gryphos similes conviviis in convivio, pro-

(1) Hæc verba post aliquot dies vertuntur hebraice, post elapso quodam tempore: inde patet crasse incredulos fictionem videndo in hoc eventu: sed enim Palestina æstans leonis cadaver dessicaverat adeo, ut nullus visus odor apes divertere posset.

Leo ad
resertum
quum in-
vadeat ad
Samsonem
leone.

Ver. 8.

Apes he-
mimum
ore, hoc
dicitur.

misso solventi premio, proponere, ut ostendi *Eclesiastici* cap. xxxii, vers. 4 et 5. Idem patet ex *Plutarcho* et *Athenæo De Canis sapientum*: « Non melleo, ait lib. VII *Saturn.* cap. I, Macrobius, quam dulcedo vini hilarant verba convivium; et crateri liquori ad lætitiã tantum adhibenda non modo nympharum, sed musarum quoque admixtionem, temperies. »

In Hebræo est pulchra paranomasia; sic enim habet, *de comedente exivit comestibile*. Sensus est, *q. d.* De leonis ore, qui alia animalia vorare solet, prodiit favus, qui est cibus suavissimus; ac de forti, id est de eodem leone, qui animalium est fortissimum, egressa est dulcedo, id est mel dulcissimum, nimirum leo a me occisus præbuit mihi mel, ut significetur actus heroicis meæ fortitudinis parituros mihi et cultibet alteri mirificam voluptatem, gaudium, felicitatem et gloriam.

Allegorice S. Augustinus, serm. 407 *De Temp.*: « De edente, ait, exivit cibus, et de forti est egressa dulcedo. Quid aliud significat quam Christum a mortuis resurgentem? De edente ulique, id est de morte, quæ cuncta devorât atque consumit exivit cibus ille qui dixit: Ego sum panis vivus, qui de celo descendit, quem humana exacerbat iniquitas, eique aceti et fellis amaritudinem propinavit, atque ab eo plebs gentium vite dulcedinem conversa suscepit, ac si de mortui leonis ore, id est, de Christi morte, qui acubans dormivit ut leo, apum, id est Christianorum, processit examen. »

Tropologie S. Ambrosius, lib. I *De Elia et Jejunio*, cap. xi, legens cum nonnullis codicibus Græcis (qui pro *ταπεινός* habent *μαρτύριον de tristi exitu dulce*, subdit, *sed et forte laboriosum est; exit enim dulcedo de tristitia vel honore*; unde et Hebræice *תאז*, significat durum, acerbum); nam in tentationibus et laboribus superatis, quasi in leonibus interfectis, suavissimi consolationum, gaudiorum et præmiorum favi inveniuntur; quocirca « Christus favos post fella gustavit, » ait Tertullianus. Idem fecere Martyres, quorum expressum hic typum exhibet Samson. Sic Paulus gaudet se liberatum de ore leonis, id est Neronis, II *Timoth.* iv, 17. Nimirum « bonorum laborum gloriosus est fructus, et quæ non concedit radix sapientie, » *Sapient.* iii, 15. Hoc est « sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » Quocirca S. Ambrosius, loco jam citato, docet «nara esse præoptanda dulcibus, hisque dulcissima temperanda, ac præsertim epulas jejuniis: Ipsa, ait, corpora dulcibus frequenter infantur et melle jecur tenditur; idem tamen escæ amaritudinem temperatur. Ideo non mediocriter, sed laudata questio: De manducante exivit esca, et de forti dulcedo. » Alii habent, *et de tristi exitu*. Græci Codices maxime, *sed et forte laboriosum est. Exit enim dulce de tristitia vel labore.*

Idem Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. xv, hoc

enigma explicat de elasmosyna: « De manducante, inquit, exivit esca, et de forti exivit dulce. » Græcus *et de tristi* habet. « Sic invenimus. Tamen de forti hoc intelligitur, quia leo fortis est feritate: et qui ferus tristis. Et de vobis, qui pecunia devorastis et avartiam, exeat misericordia. Hæc enim esca egenorum. Et de tristi exeat dulce, ut dimittatis ei qui non habet unde solvat. »

Porro inter leonem et apem multæ sunt analogie. *Primo*, in colore, qui utriusque est fulvus; et in complexione, quæ utriusque est ardens et cholericæ. *Secundo*, in fortitudine; apis enim, licet parva, suo aculeo omnes fugat. *Tertio*, in generositate; apis enim generosa est, nec quid impurum patitur. *Quarto*, in industria, qua apis superat leonem; assidue enim laborat confectisque favos, et in his mel ac ceram. *Quinto*, in pariendo; leo enim primo parit quinque catulos, deinde pauciores, ac tandem unum, inde nullum; sic et apis initio plures parit apiculas, deinde pauciores et minores, ac tandem nullas. Ita Adrovandus in ape.

14. NEC POTUERUNT PER TRES DIES PROPOSITIONEM SOLVERE.

15. CUMQUE ADSESSET DIES SEPTIMUS. — Videntur hi Philistæi sodales Samsonis prima die submississe uxorem Samsonis, quæ ab eo ænigmata solutionem exquireret, interim et ipsi cogitavit, sperantes se ejus solutionem inventuros; sed cum per tres dies cogitando illam non invenissent, rursum urserunt uxorem cum minis, ut a Samson solutionem eliceret; quod cum Samson facere abnueret, tandem die septimo et ultimo totis viribus aggressi sunt uxorem, ut a Samsonem rem expiscaretur; quod ni faceret, minabantur se eam cum domo combusturos. Fecit uxor suorum civium postulata per septem dies fens, ac tandem die septimo lacrymis et lamentis omnia miscens Samsonis animum expugnavit, ut dicitur vers. 17.

AN IDIRICO VOCASTIS NOS AD NEPTIAS UT SPOLIARETIS? — Sindonibus et tunicis nostris, quas Samson tollet, nisi ænigma ejus solverimus. Pro ut *spoliaretis*, Septuaginta et Vatablus vertunt, ut *pauperes faciatis*; Chaldaeus, *ut possideatis nos*, id est ut nostras vestes accipiemini et occupetis.

17. SEPTEM IGITUR DIEBUS CONVITIUM FLEBAT ANTEM: TANDEMQUE DIE SEPTIMO, CUM EI ESSET MOLESTA, EXPOSIT. — Hunc versum exposui vers. 15, quibus adde alteram expositionem solidiorem, scilicet « septem diebus, » hoc est durantibus septem diebus in certamine hoc propositis, puta die septimo antequam is finiret, *flebat ante eum* assidue: unde tandem victus Samson eodem die septimo ante solis occasum, ei rem totam exposuit. Non enim primis hujus septennarii diebus, sed ultimo et septimo urserunt am Philistæi cum minis incendiis, ut solutionem ænigmatis a Samsonem expiscaretur; nam ante diem

septimum sperabant ipsi se, cogitando, solutionem illius inventuros; et adveniente die septimo quo multa indicta solvenda erat, si ante vesperam solutionem non exponerent, desperantes da ejus solutionem uxorem stimularunt, ut omni ratione et modo illam a Samsonem extorqueret. Hoc est enim quod paulo ante dictum est vers. 15: « Cumque adsesset dies septimus, dixerunt ad uxorem, » etc. « Septem diebus » ergo « flebat, » id est in fine septem dierum, sive die septimo et ultimo flebat. Cum enim spatium temporis nominatur, cujus nulla pars designatur, significatur ejus plenitudo sive complementum, ut dixi in Canonibus proemii. Id ipsum docet noster Gaspar Sanchez in *Itabacæ*, pag. 4202, litt. B, et Vatablus: *Septem diebus*, inquit, *id est usque ad septimum diem; nam incæperat quarta die flere*. Vide hic quam insidiosio sint lacrymæ mulieris. Vere cato:

Conjugis irata noli tu verba timere,
Istrum insidias lacrymis, dum femina plorat.

QUE STATH INDICAVIT CIVIBUS SUIS. — Vide hic ut uxor prodit maritum Samsonem. Vere Menander: « Mulier, ait, etiam cum dicit optima et suavissima, formidanda est vel maxime. » Et Antiphanes: « Unum hoc se dicebat mulieri credere, fore ut mortua cum fuerit non reviviscat; in aliis omnibus, quamdiu vivit, ei nihil credere. » R. Jose celeberrimus illius Antigonis discipulus in *Pirke Avoth* cap. i: « Ne, inquit, sermonis multum cum muliere habeas: ne quidem ut dixerunt Rabbinum cum uxore propria, quanto minus cum aliena? Unde et dixerunt sapientes: Quotiescumque cum femina sermonis plus habet vir, sibi ipsi malum accessit, et a studio legis impeditur, tandemque in gehennam descendit. »

18. QUID DULCIS MELLE, ET QUID FORTIUS LEONE? — *q. d.* Enigmatis tui: « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, » hæc est solutio, quod tu in ore leonis voracis et fortis invenisti favum mellis: « Quid enim dulcius melle, et quid fortius leone? » S. Ambrosius, *epist.* 24, quæ in veteri editione est 70, ex Josepho addit Samsonem tum illico subjecisse: « Quid muliere peridiosius? »

Allegorice, hæc omnia Christo eleganter et multipliciter applicat S. Paulinus, *epist.* 4. *Primo*, « Christus, inquit, ipse nobis leo est, in cujus mortui ore cibum mellis invenimus. Quid enim dulcius Dei verbo? Et quid fortius Dei dextera? Aut in cujus mortui ore favus, et apes nisi in cujus verbo salutis nostræ bonum et congregatio gentium? »

Secundo: « Quarum (Gentium) potius figuram perleque in hoc leone posuerunt, quia populus gentium, qui crediti, corpus fertilis erat ante, nunc Christi est, in quo Apostoli velut apes a rore cœli et divinarum floribus gratiarum mella sapientie condiderunt, ac sic esca ab ore edentis

exierit, quia prius effera a Deo nationes receptum Dei verbum fideli corde sumentes fructum salutis ediderint. »

Tertio: « Qui vero Christum magis in eodem sibi leone proponunt, Samsonem Judæorum figuram accipiunt, videlicet ut illum leonem quasi Christum Judæi occideret, id quoque assignantes mysticæ preparationi, quod eo potissimum tempore, quo conjugium pelebatur optatum potentis belluæ egerit eodem: quia videlicet non posset firmari conjugium, quod in Christo et Ecclesia pactum est, nisi occiso leone de tribu Juda. Idem enim Dominus et Leo ille qui vicit et catulus leonis est, sua sponte sopitus, et a semetipso resuscitatus, de quo scriptum est: Quis suscitabit eum? Voluntarie enim sacrificans pro nobis Patri hostiam sui corporis; idem summus in æternum sacerdos animam suam, sicut ipse testatur, eadem resumpsit potestate qua posuit. »

Quarto: « Hic leonis catulus, quia Filius Dei, et idem Leo, quia æqualis Patri, quare ut mihi videtur, huic aptius est leoni. De edente exivit esca, et de potente dulcedo. A quo enim nisi a Salvatore nostro, cujus sermo vita est, et qui hæc nobis escam simul et ruminavit docens, et prompsit imperitens; et si placet aliter, ut de edente esca sic exeat, quia hic leo de tribu Juda pro nobis victor, ex ore nos adversi leonis eripiens, ideo venatur ut servet, capit ut absolvat, frangit ut solidet, mandat ut integret, hoc in nobis edens, quo corrumpimur. Quamobrem preter hujus leonis præda fieri, ne nimis præda leonis inimici; efficiamur esca Dei, ne nimis esca serpentis; edat nos Christus, ne diabolus voret. »

Anagogice: « Edente enim Christo in nobis absorsimur, qui consumitur; Christus etenim vita est, et mortale hoc non poterimus conponere, nisi absorbeamur, quia mortem nostram devorât Christus. »

Tropologie: « Cibus enim Christi esse non possumus, nisi faciamus voluntatem ejus, ut vicissim et ipse cibus nobis fiat, in quo semper vivimus, si ad ejus præcepta vivamus. Sic ergo de potente exit dulce, cum amaritudine malitiae nostræ per ipsum in dulcedinem bonitatis commutata, dulcis a verbo ejus esca procedimus, qui nos edendo consumpsit peccato, reparavit ad vitam. Solus hic potens, dulciter potens, qui liberavit pauperem ab avaro potente, qui feritatem mei corporis per mysterium pietatis suæ in mortem sui corporis perimens, ibi cibum vite edit, ubi miseræ fames mortis arebat, qui mihi offensionem gratia, peccatum justitia, infirmitatem virtute, mortem vita, confusionem gloria, regno mutavit exilium, quia audiebamus: Terra es, et in terram ibis; nunc jam audimus: Conversatio vestra in cœlis est. »

QUID DULCIS MELLE? — Respondeo, saccharum; sed saccharum isto modo et pluribus sequentibus

Sacharum
prisci
incogni-
tum.

fuit incognitum. Unde in Scriptura nulla ejus fit mentio. Legi totam S. Scripturam, et nusquam inveni vocem *sacharum*: imo primi qui sachari mentionem faciunt fuere Dioscorides, Plinius et Galenus, qui tamen tantum cannarum sachari meminerunt, modum vero illud per ignem liquandi, ac ad candorem, spissitudinem, et eximium dulcorem miro modo excoquendi notattingunt: ita ex Matthiolo et Cardano nostri Comimbresenses in *Meteora* lib. VII, cap. x. Audi Plinium, lib. XII, cap. VIII: « Saccharum et Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum gummi modo candidum, dentibus fragile. Amplissimum nucis avellane magnitudine ad medicinam tantum usum. » Hec Plinius, nec plura h. bet de saccharo.

Mystice: « Quid dulcius melle? » Audi Sapientiam: « Spiritus meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum, » *Echi*, cap. XXIV, vers. 27.

QUI FORTIUS LEONE? — Audi Zorobabel: « Forte est vinum, fortior rex, fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas, » III *Esdrae*, cap. III, vers. 10. Veritas ergo est fortior leone, adeoque rerum omnium fortissima. Tropologiam dedi vers. 13 et 14, cui adde in leonem ore inveni mel, cum in ore superborum, in quo prius erat putor arrogantiae et blasphemiae, postea penitentium et humilium invenitur dulcedo laudis et gratiae Dei.

QUI ATIT AD EOS: SI NON ARASSETIS IN VITULA MEA, NON INVENISSETIS PROPOSITIONEM (ENIGMA) MEAM. — Nonnulli per arationem intelligunt fornicationem Philistinorum cum uxore Samsonis, utpote paritor Philistae; et enim *vitulam* notat eam fuisse petulantem, procaecam et lascivam. Verum nulla hic fornicationis facta est mentio, sed potius minarum, quibus Philistae coegerunt illam a Samsonem exquirere enigmatis solutionem. Dico ergo: Hebraice *וַתִּי* *charas* significat excogitare, vestigare, et insuper arare: itaque arare hic ponitur pro vestigare, scrutari, rimari, quia sicut arando aperitur terra lecta, sic rimando aperitur et invenitur rei occultae veritas. Sensus ergo est, *g. d.* Nisi fraudulenter per uxorem meam perfidam excussisset solutionem mei enigmatis, nunquam illud vestro Domine invenissetis. Porro uxorem vocat vitulam ob juvenilem ejus levitatem, imprudentiam et inconstantiam, qua marito Samsoni hoc onus solvendi triginta sindones sua perfidia imposuit, ac suos Philistaeos licet nec sanguineos, nec affines illi antetulit. Decem mulieris formas, ait Serapius, depinxit olim Simonides. Alias enim dixit sues, alias vulpes, alias canes, quasdam vero terre similes, quasdam mari, nonnullas cineri asinoque effellario, mustella, jubato equo, simae, demum vero apibus etiam, hasque unas, sicuti et Phocylides, laudamson vero nosler monstrat quasdam etiam las, quae lascivae, loquaces, infidae, jugi-

Decem
formas
mulie-
rum

que impatientes, ac Domino conjugato suo molestae ac noxae.

Mystice S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, in proemio, docet per uxorem Samsonis, hoc est per Ecclesiam e Gentibus collectam, quaerendam a Christo revelationem arcanorum Dei, fidei et salutis: « Quid dulcius melle, quid fortius leone? Ad quae ille respondit: Si non demississet vitulam meam, non invenissetis questionem meam. O divinum mysterium! o evidens Sacramentum! Erasmus interemptorem, potentem vicium, ubi nunc cibus vite est, ubi erat ante misere fames mortis. In salutem pericula, in suavitatem amaritudo convertitur. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte. Sunt tamen qui e contrario putent fondari non potuisse conjugium, nisi occiso leone de tribu Juda. Et ideo in corpore ejus, hoc est, Ecclesia super peritas, quae condunt mella sapientiae, quia post Domini Passionem magis Apostoli crederunt. Hunc igitur leonem Samson, quasi Judaeus occidit, et in eo mel in figura redimende hereditatis invenit, ut reliquiae salvae fierent secundum electionem gratiae. »

19. IRRUIT ITAQUE IN EUM SPIRITUS DOMINI (impellens eum ad heroicam ascalonitarum hostium Israelis stragem); DESCENDITQUE ASCALONEM, ET PERCUSIT IBI TRIGINTA VIROS, QUORUM ABLATAS VESTES DEDIT IIS QUI PROBLEMA SOLVERANT (1). — Ita mirum hostibus promissum hostium praemium ex hostium eorumdem caele et spoliis percipit. Juste ergo hoc fecit Samson, tum quia justum erat Israeli cum Philistaeis bellum, tum quia ad hoc eum agebat irruens Spiritus Domini, qui pariter effectit, ut Thammathenses Philistaei et Oedipi, qui enigma hoc solverant, vel nescirent Ascalonitas hos sibi confederatos a Samsonem cessos, vel si scirent, in eum insurgere, et sociorum necem ulcisci non auderent.

Dices: *Numer.* VI, vestitum erat ne Nazarei tangerent quid immundi, v. g. cadaver; quomodo ergo Samson, qui erat Nazareus, cadavera occisorum a se tetigit, ut eis tunicas adimeret? Respondeo, a peccato, neque ac ab immunditia legali excusat eum necessitas solvendi debitum paranympis promissum. Adde Samsonem haec omnia fecisse impulsu irruebat in se spiritus Dei, uti hic dicitur. Deus enim eum quasi magister dirigebat, ac probeinde in lege cum eo dispensabat. Id patet ex eo quod Deus paraverit ei cibum favi et mellis in ore leonis mortui; ac potum in maxilla asini pariter mortui, cap. XV. Quis autem non utatur escis et potibus sibi a Deo paratis?

IRATUSQUE NIMIS ASCENDIT IN DOMUM PATRIS SUI. — « Iratus, » tum uxori suae, quae secretam enigmatis solutionem a Samsonem acceptam revelave-

(1) Ascalon urbs erat Philistinorum circa duodecim leucas Thammath ad meridiem.

rat et prodiderat Philistaeis, ideoque causa fuerat cur ipse isidem pendere deberet triginta tunicas et sindones, quaeque magis amabat juvenes Philistaeos quam sponsum suum Samsonem. Unde et ipsa a Samsonem fecit divortium, alteri, scilicet Philistaeo eidem a pronubis Samsonis nubens; indeque Samson novam malefaciendi Philistaeis suspexit ansam.

IRATUS, — quoque paranympis suis Philistaeis, qui fraude per uxorem Philisteam enigmatis solutionem, indeque premium triginta sindonum

a se extorserint. Iratus denique toti urbi Philistine, quae tam fraudulentos paranympis sibi assignaverat.

20. UXOR AUTEM EJUS ACCERTIT MARITUM INVEN DE V AMICIS EJUS ET PRONUBIS. — Septuaginta cum vocant *nymphagogum*; alii, *paranympum*. Christus, *Matth.* IX, vocat eos « amicos sponsi; » alibi vocantur « filii sponsi, » vel « filii nuptiarum, » qualis Christo fuit Joannes Baptista, dum ejus cum Ecclesia nuptias sua predicatione honestavit et quasi conciliavit.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson, ob uxorem sibi ademptam et alteri traditam, per 130 faces ad caudas trecentarum vulpium alligatas segetes Philistinorum succendit; quare Philistaei ejus uxorem cum patre comburunt. *Moz*, vers. 8, Samson ingenti plaga eos percussit. Quare ipsi conflato exercitu Samsonem sibi a Judaeis dedit poscent; hi illum ligatum dedunt, sed ille ruptis funibus mille Philistaeos maxilla asini occidit, vers. 15. Deinde sittens orando ex eadem maxilla aquam elicit, sitimque restinguit, vers. 18.

1. Post aliquantulum autem temporis, cum dies triticeae messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei haedum de capris. Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens: 2. Putavi quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo; sed habet sororem, quae junior et pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor. 3. Cui Samson respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philistaeos; faciam enim vobis mala. 4. Perrexitque et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad eandas, et faces ligavit in medio; 5. quas igne succendens, dimisit, ut huc illicque discurrerent. Quae statim perrexerunt in segetes Philistinorum. Quibus succensis, et comportatae jam fruges, et adhuc stantes in stipula, concrematae sunt, in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret. 6. Dixeruntque Philistaei: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thammathaei; quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, haec operatus est. Ascenderuntque Philistaei, et combusserunt tam mulierem quam patrem ejus, 7. Quibus ait Samson: Licet haec feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam. 8. Perussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitavit in spelunca petrae Etam. 9. Igitur ascendentes Philistaei in terram Juda, castrametati sunt in loco qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla, ubi eorum effusus est exercitus. 10. Dixeruntque ad eos de tribu Juda: Car ascendistis adversum nos? Qui responderunt: Ut ligemus Samson venimus, et reddamus ei quae in nos operatus est. 11. Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda, ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philistaei imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis. 12. Ligare, inquit, te venimus, et tradere in manus Philistinorum. Quibus Samson: Jurate, ait, et spondete mihi, quod non occidatis me. 13. Dixerunt: Non te occidemus, sed vincetum trademus. Ligaveruntque eum doctus novis funibus, et tulerunt eum de petra Etam. 14. Qui cum venisset ad locum Maxille, et Philistaei vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum, et sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt et soluta. 15. Invenitque maxillam asini est, mandibulam asini, quae jacebat, arripiens, interfecit in ea

mille viros. 16. Et ait : In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevi eos et percussi mille viros. 17. Cumque hæc verba canens complexset, projecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius, Ramathlechi, quod interpretatur elevato maxilla. 18. Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, et ait : Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam; eni siti morior, incidamque in manus incircumcisorum. 19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem. 20. Judicavitque Israel in diebus Philistinum viginti annis.

3. AD HAC DIE NON ERIT CULPA IN ME CONTRA PHILISTEOS; FACIAM ENIM VOBIS MALA. — *q. d.* Uleiscar injuriam in uxoris mee ablatione mihi illatam; quare vobis imputate clades a me inferendas, non mihi. Ego enim vobis injuriam non intuli, sed vos mihi intulistis. Vestra ergo est culpa, vestra erit et poena. Porro Samson maxime intendebat ulcisci publicas injurias toti populo a Philisteis illatas, sed iis tacitis suas privatas eis obicit, ne Philistei iras et arma in totum populum, sed in se solum convertant. Ipse enim omnes quasi ad duellum provocabat, quod erat opus heroicæ fortitudinis, æque ac prudentiæ et charitatis in suos populares et cives, ut eos a Philistinorum vindicta faceret immunes.

4. CEPIT TRECENTAS VULPES (1). — Hinc patet Samsonem æque callidum ac fortem fuisse, utpote qui vulpes adeo dolosas dolo superavit et cepit. Virtum est illud : « Quæ vulpes non capitur laqueo; » sed norat ipse vulpinari cum vulpibus, fecitque quod Lysander aiebat : « Si leonis exuvie non sufficiunt, vulpis pellem eis assue, » hoc est, quod robore vincere nequis, confice astutia. Et illud Pindari, *De Metisso*, ode 4 : « Ille animositate similis audacie graviter frementium leonum ad venandum cum labore; solertia autem est vulpes, quæ supina cohibet impetum aquilæ; oportet autem quodlibet faciendo labefactare adversarium. » Adde Deum, per Angelum secundantem actus Samsonis, has vulpes collegisse eo loco et modo quo siebat illas facile a Samsonem capiendas, sicut animalia omnia adduxit ad Noe tempore diluvii, ut ipse ea eorumque stirpem servaret in arca, aut certe artem et rationem has vulpes capiendi Samsoni suggestisse. Porro Judæa, ac præsertim tribus Dan, abundat salibus, unde in tribu Dan erat locus *Salehim*, in quo erant vulpes, cap. 1, 33, ut vertunt Septuaginta. Hinc et illud *Cant.* 1 : « Capite nobis vulpes parvulas quæ demoluntur vineas. » Sic Julius Cæsar Romæ spectaculum dedit leonum quadringenta. Probus Imperator mille, item mille leopardorum, mille cervorum, mille aprorum, mille ibicium, mille struthionum; Heliogabalus collegit mille mustelas, totidem sorices, decem millia murium, de-

(1) Isti vulpes vulgo nominantur gallicæ *schacals*, median tenentes inter canem et lupum.

cem millia pondo araneorum et muscarum, testæ Lampridio et Vopisco in eorum Vita, ac Plinio, lib. VIII, cap. xvi. Quid mirum si Samson trecentas collegerit vulpes? Collegit autem eas, tum ne vineas civium suorum vastarent, tum ut segetes Philistinorum succederent. Ita civibus suis tantum profuit quantum hostibus nocuit.

CAUDASQUE EARUM JUNXIT AD CAUDAS. — Noluit Samson singulis vulpibus alligare faces, licet id opinetur Abulensis, ne singule in antra sua se abderent et faces extinguerent, sed binis vulpium caudis singulas faces alligavit, ut dum una huc, altera illuc conatur faces effugere, in campos segetum plenos profugiant illasque succendant. Rursum ut moram ad succendendum segetes omnes necessariam eis injiceret, dum una vulpe fugiente altera sistit, vel alio se propriere satagit.

ET FACES LIGAVIT IN MEDIO. — Pro faces Hebraice est לפידים *lappidim*, id est torres, tedas, titiones ex pino, cedro, cupresso aliaque pingui materia, quæ facile ignem concipiunt, diuque fovent et retinent. Hebræum est : *Convertit caudam ad caudam, et facem posuit in medio duarum caularum.* Non ergo implexit vel astricte a Samsonem fuere vulpium caudæ; hoc enim difficile fuisset et impedimento vulpium cursui, sed utriusque vulpis caudæ fortiter adnexo, quin et longius tracto fune Samson medium titionem vel facem alligavit, ut a binis fortius traheretur, minusque objectis stipulis vel impedimentis retineretur : sicubi vero implicaretur, acuto astutoque vulpium ingenio expediretur. Porro vulpes hæc ignem ad caudas se insequentem continuo fugientes (valde enim ignem horrent vulpes), ad segetes, ut in iis latitarent, putantes se ignem effugere posse, properunt; illasque succensas a se rursum fugientes, in alias et alias segetes profugerunt, eisque pariter ignem immeriserunt; quocirca plurimas non tantum segetes, sed et vineas et oliveta succederunt. Ingens ergo damnus hic Philisteis intulit Samson.

Serarius opinatur ex hoc facto Samsonis orta esse Vulpinalia Romæ. Romani enim quotannis aprili mense, quando in Circo celebrabant Equiria, id est ludos equestres, simul solebant vulpem ardentem tædæ exurere, cuius ritus originem Ovidius, lib. IV *Fastor.*, refert ad rusticum quemdam, qui Carseolis vulpem, eo quod gallinas suas

Vulpinalia
Samosens.

comedisset, exurere cepit; sed vulpes ex rogo elapsa in vicinas segetes eas succendit. Verum hoc videtur esse fabula, vera autem est hæc vulpium historia a Samsonem edita. Unde videntur Romani illam, ut et multa alia ab Hebræis accepisse. Omnia enim gentium ritus et superstitiones Roma in se transtulit.

Tropologice S. Ambrosius in *Psalm.* cxviii, serm. 11, in fine, S. Augustinus, serm. 107 *De Temp. hom.* 4 in *Cant.*, per vulpes accipiunt hereticos : *Primo*, quia utrisque ingens inest dolus et ars fallendi. Hinc S. Isidorus, lib. XII *Etymol.* cap. ii, vulpi hoc dat etymon : « Vulpes, inquit, dicitur quasi volapès; est enim volabilis pedibus, et nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit fraudulentum animal, insidiisque decipiens. Nam dum non habuerit escam, fingit mori : sicque descendentes quasi ad cadaver volucres rapit et devorat. »

Audi S. Ambrosium, loco jam citato : « Per hanc figuram (vulpium) significans quod improbi ac fraudulentum homines, et maxime heretici liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitus impeditos : aut religiosa principia, finem vero fraudis sue in condicio deputatum, ideoque et trecentas vulpes dimisit, eo quod perfidi crucis quidem se predicatione commendare desiderant, sed mysterium ejus tenere non possunt, qui hæc predicatione composita et falsa atque simulata urere magis conantur fructus alienos : eum utique vera crux Domini non exurat aliena merita, sed fecundat. » Idem in cap. ix, 5, *Lucæ* : « Heretici, inquit, fructus succedere conantur alienos. Ad præsens ore liberi, sed in futurum ignem jam vincti, cauda facibus significantes sui finis incendum. »

Secundo, vulpes hæc capitibus dissociantur, sed caudis sociantur; quia apud hereticos tot sunt sententiæ, quot capita; omnes tamen in fine conspirant ad fidem orthodoxam impugnandam.

Tertio, heretici instar vulpium Samsonis suis litibus, bellis, cedibus, incendiis omnia devastant.

Quarto, Philisteis, id est aliena dogmata sectantibus nocent, non fidelibus in fide constantibus.

Quinto : « Quid sibi volunt caudæ vulpium, ait S. Augustinus, nisi posteriora hereticorum, qui prima habent blanda magna deceptoris opera, » quasi capita; « posteriora vero ligata, id est, damnata, et ignem in fine trahentia, ut eorum fructus et acta consumant qui suis seductionibus acquiescunt. »

Sexto, vulpes cicurari nequit, nec ulla arte mores et dolosam hæresim mutat; sic nec heretici. Unde nullus hæresiarcho (excepto Berengario, cujus dubia est salus) legitur ad fidem Orthodoxam redisse. Vidi Lovanii vulpeculam reoens natam, quæ juncta catulis felis cum iis lacte felis alebatur, sed ipsa illico catulos felis parit : viii

aliam cum catulo canis grandiore educari, sed ita ut vulpes non caninos, sed canis vulpinos a socio vulpe mores indueret.

Septimo, vulpes cum vult imitatur latratum canis et ululatum lupi; sic heretici alios se simulant, et Orthodoxam vocem fidemque imitari se jactant.

Octavo, vulpes nunquam rectis itineribus, sed tortuosis semper anfractibus currit. Sic apud hereticos omnia sunt præva, vafra, distorta, nec aliud nisi dolos, cædes, proditones Catholicorum machinantur.

Nono, vulpes in spelæum una via intrat, alia exit, ait S. Augustinus in *Psalm.* lxxx; sic heretici, dum ratione premuntur, alia elabuntur. Rursum per blanditias irreputant, at cum dominium assecuti sunt, feroces evadunt, excutuntque per rapinas, strages et funera civium.

Decimo, vulpes callida est, quia calida, indeque fetens; sic heretici ardent invidia, ira et libidine, indeque putent.

Undecimo, vulpes ubi minxit, illico terram efficit sterilem, ut germinare nequeat : sic ubi heretici suam hæresim effuderint, omnia virtutum germina exarescunt. Ipsi ingit

Astutam viro gestant sub pectore vulpem.

Samson ergo capiens vulpes est doctor revincens hæreticos, ac per eos hæresum libros et Synagogas comburens. Ita Origenes, hom. 4 in *Cant.*, et S. Augustinus in *Psalm.* lxx.

5. ET COMPORATÆ JAM FRUGES, ET ADHUC STANTES IN STIPULA. — Id est, segetes tam demessas et in acervum comportatas, quam non demessas et in agro adhuc stantes. Hebraice, *succendit ad acervum usque ad segetem; Septuaginta, arserunt ab area usque ad spicas rectas.*

6. ET COMBUSSERUNT TAM MULIEREM QUAM PATREM EJUS. — eo quod secundiis suis nuptiis occasionem dedit Samsoni succendendi suas segetes. Addit Josephus cognatos quoque ejus fuisse exustos. Ecce mulier hæc volens effugere cremationem a Philisteis sibi comminatum, sua perfidia in eundem ignem recurrit. Rursum disce hic adulteras (qualis erat hæc mulier) olim punitas morte, eaque ignis et incendii. Unde et Judas Thamar nurum suam ob adulterium jussit comburi, *Genes.* cap. xxxviii, vers. 24. Vide ibi dicta. Audi S. Bonifacium, epist. 49 ad *Ethibaldum Merciorum regem* : « Saxones adulteram cogunt per laqueum suspensionem vitam finire, et super bustum viam incense et concremata corruptorem ejus suspendunt. »

8. PERCUSSITQUE EOS INGENTI PIAGA (obvius quosque passim feriendo, sternendo et mactando); ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT. — quod intense et anxie cogitationis signum est : tunc enim quasi stupentes solemus suram pedis unius alteri femori imponere. Ita S. Augustinus et Hugo Victorinus. Hebraice, *percussit eos tibia super femur piaga magna.* Vatablus, *percussit eos in cruce una*

caum feribus, hoc est percussit eos in cruribus simul et temporibus. Chaldaeus, *percussit equites cum pedibus*; Rabbi David, *percussit eos circumagendo se super pedes*; id est circumagendo omnes circumcirca occidebat, ne a tergo laedi posset. Sic Lusitani pauci in India contra multos barbaros pugnantes, circumagendo se, pugnant in orbem. Hebraei et Burgensis: *Percussit eos sura, id est, calcibus femora Philistinorum, q. d.* Non armis feriendo, sed calcibus calcitrando eorum femora illisit. Ita variè varie. Verum optime et plenissime verit Noster juxta sensum quem dedit, cui consentiunt Septuaginta qui verunt, *percussit eos tibiam super femur* (hæc stupore ponentes) *plagam magnam.*

Est hinc secunda hujus capituli plaga a Samsonè Philisteis inflata, tertiam par maxillam irrogatam audiemus vers. 15.

HABITAVIT IN SPELUNCA PETRE ETAM, — qua sita erat in tribu Juda, habebatque vicinum Ierentem, ait Adrichomius. Insuper hic Scriptura præcedentem Samsonis pugnam in vicinis Juda montibus contigisse, indeque victorem Samsonem ad speluncam Etam demigrasse, ubi propter locorum angustias; unus aliquis miles plurimis bellicioribus præesse posset, tantoque magis Samson, qui solus in medio campo pluribus vicariis prostabat. Neque tamen eo cessavit metu, sed, ut ait Dionysius, quo ibi quibus vaeret Deo, quo impulsore ista parabat. Et ne urbs, quam adiens, ipsius causa periclitaretur: cum ille vellet suo se tantum periculo ac virtute tutari. Ita Salmasius.

13. LIGAVERUNTQUE EUM. — Potuisset Samson civibus suis resistere ac dicere: Ego vestri causa percussi Philisteos, ut eorum vires infringam, ne vobis dominarent, cur ergo me liberatorem vestrum eis traditis; sed noluit ut eos immunes et in domum a Philisteis redderet, qua in re illustre dedit exemplum justitiae legalis, æque ac civicae charitatis, quia ipse vitam suam pro publica civium et Reipublice salute periculo mortis exposuit. Audi S. Ambrosium paraphrastice hunc locum et sensa Samsonis graphice describentem *epist.* 24, que in veteri edit. *epist.* 70: « Et qua justitiam formæ est genus Abrahamidarum, ut circumscriptæ primo conjugis, deinde abductæ perniciosa mihi vindicta sit, et sine periculo domesticum injuriam non liceret tuleris? Tanquamne incensis animos ad turpe vernularum obsequium, ut exsecutores vobis alienæ præbeatis insolentiae, atque in vosmetipsos vertatis manus? Si pereundum est, quia dolorem habui, liberum javat perire manibus Philistinorum. Tentata domus, sollicitata uxor. Si non licuit mihi vivere sine eorum fraude, saltem liceat mori sine eorum scelere. Retuli ego acceptam injuriam, non intuli. Vos æstimate an digna vicissitudo fuerit. Illi de amantum fructum queruntur; ego conjugis amissionem. Conferre manipulos messis et sociam tori. Dolorem meum ipsi probantur, ejus injurias vindicaverunt. Videle quo vos ministerio dignos putant. A vobis eum morte affici volunt, quem ipsi ultione dignum, de his qui me lesantur, judicaverunt, et qui vindictæ præbent ministerium. Sed si adeo subdita superbis colla geritis, tradite me hostium manibus, vos nolite occidere. Non mortem abno, sed vestrum fugio contagium. Verum si formidiae oeditis, insolentibus alligatæ vinculis manus: inermes licet invenit sibi arma nodis soluta. Certe conditioni impositæ satis futuram arbitrati sunt, si viventem in potestatem daretis.»

Allegorice, Samson hic fuit typus Christi, qui a civibus suis Judeis ligatus et traditus est Pilato et Romanis, ut ab eis crucifigeretur. Ita S. Augustinus.

14. ET SICUT SOLENT AD ODOREM IGNIS LINA CONSUMI, — id est facillime Samson rapit fumes, perinde ac lina, que sicca, mox ut calore ignis senserint, comburuntur. Metaphorice sensus caloris vocatur odor. Unde Septuaginta, *sicut stippa cum alfeerit ignem*. Perperam ergo nonnulli Codices pro odorem legunt *ardorem*, et pro lina, ligna.

INVENTAMQUE MAXILLAM, ID EST MANDIBULAM ASINI, QUÆ JACEBAT. — Hebraice *maxillam* וְיָדָהּ לֵתִי, id est *virentem*, id est *humentem et tibi adhuc viventem*. Ita Chaldaus (1).

INTERFECIT IN EA MILLE VIROS. — Asini enim uti magna habent duraque capita, et maxillas, præsertim in Syria, ubi sunt grandiores et fortiores nostratibus; quanquam naturaliter vix fieri poterat ut una maxilla occideret mille viros; nam percutiendo tot viros maxillam sæpius confringisset: sed Dei virtus ei adfuit, que et maxillam in suo robore conservavit, ut toti lotibus allisa daris corporibus non rumperetur, ac Samson vires dedit, ut per illam mille viros necaret. Hoc nuptium illud *Psal.* III, 8: « Percussisti omnes adversantes mihi sine causa, » ubi pro *sine causa*, Hebræum est וְלֹחֵי, id est *maxilla*.

Symbolice, in maxilla asini Samson percussit mille Philisteos. Homo enim, carni, gula et luxuria deditus (uti erant Philistei) nihil est aliud quam bucca aut maxilla, ait Clemens Alexandrinus, lib. II *Paedag.* cap. 1, sub initium. Mala ergo sive maxilla asini percussit asinus, id est Philisteos asininos et carnales. Sicut ergo Herules non telo, sed clava tot monstra occidit; sic Samson maxillam verit in clavam, eaque hostes prostravit.

15. APERUIT ITAQUE DOMINUS MOLAREM DENTEM SEPTUAGINTA LACUM QUI IN MAXILLA; PERPERAM CALICEM, PETRAM QUÆ IN MAXILLA, NISI PER PETRAM CHALDEOS OS DENTIS DURUM UT PETRAM. Hebraice enim *מַכְתֵּשׁ* *machtes*, dentem molarem significat) IN MAXILLA ASINI, ET EGRESSI SUNT EX EO AQUÆ. — S. Ambrosius, *epist.* 70: « Dei misericordia, inquit, cum projecisset illi maxillam, aperuit scissuram ejus, et fons erupit ex ea. » D. Hieronymus in *Epitaph.*

(1) *Interfecti omnino* hebraice *percussit*, mirabilisque hæc victoria soli Samson tribuitur, qua per prælia ducem sequitur gloria militum.

Inn veritas, quod in populi foret humilitate gentilis et requies et triumphus; juxta quod scriptum est: *Qui te percussit in maxillam, præbe ei et alterum.* Per hanc enim injuriam patientiam, quam erant sacramenta baptismatis; et de quibusdam stultis iracundie triumphamus, ut morte obita resurrectionis requiem consequamur.»

Hinc Cabalistic tradunt מַכְתֵּשׁ *chamot*, id est asinus, per anastrophe idem esse quod מַכְתֵּשׁ *vechem*, id est misericordia; qua Christus pro nobis pugnans demones, omnesque nostros hostes proliant.

16. ET AIT: IN MAXILLA ASINI, IN MANDIBULA PULLI ASINARUM DELEVI EOS, — in Hebræo pulchra est paranomasia: וְלֹחֵי הַחֹמֶר בְּלִי מַכְתֵּשׁ *vechi chamor chamorathaim*, quod Pagninus, Cajetanus, Valabius et Rabbinus verunt: *In maxilla asini acervum acervorum duorum percussit, q. d.* Duos acervos vel camelos Philistinorum cecidi. Ludit in voce *chamor*, id est asini, que ducta est a *chomer*, id est acervus sive mensura que cornu dicitur, continetque triginti modios: hæc enim erat asinarum onas, quod asinus in Palesina bajalabat. Ita Viliplando, parte II *De Templo*, lib. III, cap. IX.

Porro Josephus et S. Ambrosius, *epist.* 70, opinantur Samsonem hæc ex arroganti dixisse, ideoque sibi arrogavit dicens: *In maxilla asini delevi mille viros.* Nec aram statui Deo, nec hostiam immolavi, sed negligens sacrificii, assumptor gloriae, ut triumphum suum perpetuo consecraret nomine, vocavit locum maxillæ interfectionem.»

Verum melius Abulensis, Serarius et alii censent Samsonem hoc caritico gratias Deo egisse, quod ejus opere solum per unam maxillam occidit exercitum Philistinorum. Addunt Tyrannus, Abulensis, Cajetanus et Arias (hinc colligitur ex vers. sequenti) Samsonem prolixius carmen hinc Deo cecinisse v. g. illud quod postea cecinit David, *Psal.* CXLIII: « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum, » etc., ac post singulos versus itorasse: « In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, » quasi carmen intercalare.

18. SITENSQUE VALDE, — ex labore tam itineris, tam macerandi tot Philisteos.

19. APERUIT ITAQUE DOMINUS MOLAREM DENTEM SEPTUAGINTA LACUM QUI IN MAXILLA; PERPERAM CALICEM, PETRAM QUÆ IN MAXILLA, NISI PER PETRAM CHALDEOS OS DENTIS DURUM UT PETRAM. Hebraice enim *מַכְתֵּשׁ* *machtes*, dentem molarem significat) IN MAXILLA ASINI, ET EGRESSI SUNT EX EO AQUÆ. — S. Ambrosius, *epist.* 70: « Dei misericordia, inquit, cum projecisset illi maxillam, aperuit scissuram ejus, et fons erupit ex ea. » D. Hieronymus in *Epitaph.*

Paulæ: « Fontem de molari maxillæ dente pro duxit. » Prudentius in *Eucherillo*:

Ab ore lenis
Nella sunt: maxilla asini fontem vomit ultra
Stultitia exundat ipsa plus: dardæne victus.

Et S. Ephrem, tom. I, pag. 128: « Tante, inquit, erat Samson sanctimonie; ut etiam quandoque sifente eo, et in inopia orante, ex arrepta mandibula asini emortua aquæ scaturirent. » S. Chrysostomus, *homil.* 19, ex variis in Mattheum locis: « Sanctus erat Samson, atque in tantum sanctus, ut cum sisset post laborem pugnae, in loco sicco deprecatus in defectu anime suæ Dominum, statim ex ipsa maxilla que in manu tenebat, erumpente aqua, biberit, atque inde sitis astum ex eodem mortui peccati osse quo vicerat, refectus exsulerit.»

Nota quod ait Chrysostomus, « quam in manu tenebat, » hoc est manu tenentem; nam jam ante eam in terram procecerat, ibique eo orante ex illa fons erupit. Porro erupit hic fons ex illa maxilla, indeque scaturit, ut majus apparet miraculum, si que congrue ad meritum Samsonis et premium: quia enim ipse per mandibulam foetissime pugnans et cædens Philisteos ingentem contraxit siliam; hinc Deus per eandem maxillam sitis remedium præbuit, eiciens ex illa fontem aque perennem. Discite hinc quam magnus Deus per res viles et parvas, uti per maxillam, magna operetur; quare nemo desperet se ejus ope magna facturum, dummodo ei strenue cooperetur.

INCERTO APPELLATUM EST SOLEN LOCUS ILLUS: FONS INVOCANTIS DE MAXILLA. — *De maxilla* referri ad *fontem*, non ad *invocantem*, ut patet ex Hebræo, q. d. Fons invocantis (Samsonis) qui est in *loco*, hoc est in loco dicto *hamath techi*, id est elevato maxillæ, eo quod ibidem Samson orans ex maxilla fontem hunc eliciverit.

USQUE IN PRESENTEM DIEM. — Fontem hunc perdurasse ad hæc tempora tradit S. Hieronymus in *Epitaph. Paulæ*, imo et Glycas, part. II *Annalium*, diserte: « Hic fons, ait, in hodiernum usque diem in Eleutheropolis suburbio conspicitur, et Fons maxillæ nuncupatur. » Unde Serarius fontem istum adhuc extatæ et aquas fundere opinatur. Nam Glycas, inquit, vix 800 annis nostrum sæculum antecessit, cum usque ad Joannem Comnenum Imperatoris Alexii filium suos protulerit annales. Nam quis ex eo tempore illum vel arefcisset stans, vel obstruxisset lutum, vel dissipasset mentus?

Tropologicæ S. Gregorius, lib. XIII *Moral.* cap. VI: « Maxilla, inquit, Ecclesie sancti predicatores sunt, sicut sub Judææ specie per Jeremiam dicitur: Plorans ploravit in nocte, et lacryme ejus in maxillis ejus; quia in adversitate Ecclesie illi amplexus plangunt, qui vitam carnalium confringere predicando novant. Per ipsos quippe sancta Ecclesia iniquos a vitis conterit, et quasi glutienis in sua membra convertit. Unde ipsi quoque primo predicatori, velut maxilla Ecclesie dicitur: »

Maxilla
Ecclesie
est predicator.

Occide et manduca. Hinc est etiam quod Samson maxillam asini tenuit, et hostes peremit; quia redemptor noster simplicitatem atque patientiam predicationum suæ manu virtutis tenens, a vitibus suis carnales interfecit. Et maxilla in terram projecta postmodum aquas fudit, quia data morti prædicatorum corpora magna populis monstravere miracula. » Apposito in *Martyrol.* die 24 februarii Baronius: « S. Babilas, ait, mortuus velut redivivus contra Gentiles pugnas aggressus est majores. Nam more Samsonis, ossibus pugnant in fugam vertit Philistæos. »

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson Gazæ a Philistæis circumcessus, ablatis urbis portis, egreditur; mox, vers. 4, amans Dalilam, ab ea urgentibus Philistæis varie tentatur, ut aperiat in quo sita sit sua fortitudo; ejus assidua importunitate victus, vers. 17, indicat eam sitam in capillis; hos ergo et dormientem abscondit Dalila, itaque eum Philistæis prodit et tradit. Hi eum vinciant, exoculant, incarcerationem, diesque festos et ludos agunt. Tandem, vers. 26, Samson recrescentibus capillis et viribus, concutiens duas columnas domus, ejus ruina principes et tria milia Philistinorum, secum obruit et sepelit, pluresque occidit moriens quam vivos.

1. Abiit quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam. 2. Quod cum audissent Philistiim, et percrebruisse apud eos intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodiis, et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut factio mane exeuntem occiderent. 3. Dormivit autem Samson usque ad medium noctis, ut facto mane exeuntem occiderent. 3. Dormivit autem Samson usque ad medium noctis, ut facto mane exeuntem occiderent. 4. Post hæc amavit mulierem quæ habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila. 5. Veneruntque ad eam principes Philistinorum, atque dixerunt: Decipe eum, et discere ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus, et vinctum affligere; quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos. 6. Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit quo ligatus erumpere nequeas? 7. Cui respondit Samson: Si septem nervicis funibus, nedum siccis et adhuc humanibus, ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines. 8. Attuleruntque ad eam satrapæ Philistinorum septem funes, ut dixerat, quibus vinxit eum, 9. latentibus apud se insidiis, et in cubiculo finem rei expectantibus, clamavitque ad eum: Philistiim super te Samson. Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filium de stuppæ tortum putamine, eum odorem ignis accepit; et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus. 10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illusisti mihi, et falsum locutus es; saltem nunc indica mihi quo ligari debeas. 11. Cui ille respondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, et aliorum hominum similis. 12. Quibus rursus Dalila vinxit eum et clamavit: Philistiim super te Samson, in cubiculo insidiis preparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum. 13. Dixitque Dalila rursus ad eum: Usquequo decipis me, et falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: Si septem crines capitis mei cum licio plexeris, et clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. 14. Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum: Philistiim super te Samson. Qui consurgens de somno extrahit clavum cum crinibus et licio. 15. Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit me-

20. JUDICAVITQUE ISRAEL IN DIEBUS PHILISTIIM VI. Vers. 16. GINTI ANNIS, — quibus scilicet Philistini opprimebant Hebræos. Hinc patet *primo* annos Samsonis concurrere cum 40 annis servitutis, quibus Hebræi servierunt Philistæis, ut dixi cap. XIII, vers. 1. Patet *secundo* Samsonem vere fuisse Judicem Israelis, quia « judicavit, » id est vindicavit et liberavit eum a servitute Philistinorum. Fuit tamen ipsa dispar et dissimilis cæteris Judicibus, qui per exercitum pugnarunt; ipse enim solus contra exercitum præliatus est, eosque fudit et occidit. Patet *tertio* eum judicasse per 20 annos.

eum? Per tres vices mentitus es mihi et noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua. 16. Cumque molesta esset ei, et per multos dies jugiter adhereret, spatium ad quietem non tribuens, defect animæ ejus, et ad mortem usque lassata est. 17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia nazareus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ; si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines. 18. Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philistinorum ac mandavit: Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant. 19. At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et cepit abigere eum, et a se repellere; statim enim ab eo fortitudo discessit, 20. dixitque: Philistiim super te Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, et me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus. 21. Quem cum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt. 22. Jamque capilli ejus renasci cœperant, 23. et principes Philistinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo et epularentur, dicentes: Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. 24. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat: Tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, et occidit plurimos. 25. Latantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas. 26. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et reclinet super eas, et paululum requiescam. 27. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philistinorum, ac de tecto et solario circiter tria milia utriusque sexus spectantes ludentem Samson. 28. At ille, invocato Domino, ait: Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. 29. Et apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, et alteram leva tenens, 30. ait: Moriatur anima mea cum Philistiim, concessisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, et ceteram multitudinem quæ illi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante vivos occiderat. 31. Descendentes autem fratres ejus et universa cognatio tulerunt corpus ejus, et sepelierunt inter Saara et Esthaol in sepulcro patris sui Manue, judicavitque Israel viginti annis.

V. 1. 1. VIDIT IBI MULIEREM MERETRICEM, INGRESSUSQUE EST AD EAM, — non ut eam fornicaretur, sed alterius negotii vel mysterii causa, ait S. Augustinus serm. 107 *De Temp.* Verum ingredi ad meretricem in Scriptura significat fornicari et meretricari. Quare fornicatus est hic Samson.

V. 3. 3. IMPOSITASQUE (PORTAS GAZÆ) HUMERIS SUIS PORTAVIT AD VERTICEM MONTIS. — Peccavit mortaliter Samson fornicando cum meretrice, et tamen retinuit suam fortitudinem supernaturalem, qua portas urbis impositas humeris tulit in montem; quia fortitudo hæc erat gratis data, et non gratum faciens, ac consistebat cum peccato mortali. Sita enim erat in ejus Nazareatu, id est in coma intonsa, ac abstinencia a vino et sicera; fornicatio autem non tollebat ejus Nazareatum, ac consequenter nec ejus fortitudinem.

Allegorice, Samson media nocte tollens portas Gaze representat Christum, post mediam noctem e sepulcro resurgentem, ac lapidem sepulcri amoventem, insuper portas mortis et gehennæ aufertentem, indeque Patriarchas et Prophetas Sanctosque omnes cum triumpho educentem. Ita S. Augustinus, serm. 107 *De Temp.*, S. Hieronymus in cap. 1 *ad Ephes.*, S. Gregorius, hom. 2 *in Evang.*, quem audi: « Quem nisi Redemptorem Samson ille significat? Quid Gaza civitas nisi infernum designat? Quid per Philistæos nisi Judæorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent ejusque corpus in sepulcro jam positum, custodes illico deputaverunt, et eum qui auctor vite claruerat, in inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse letati sunt. Samson vero media nocte nocte